

E libris
gymnasio Mauritiano Magdeburgensi

a venerabili

Carolo Funk

theol. doctore et gymnasii direttore

a. 1857 hereditate relictis.

T. o. 1027.



20 899

PRORECTOR
ACADEMIAE FRIDERICIANAE
FRIDERICVS

HOFFMANNVS,
Med. D. eiusd. & Phil. Nat. Prof. P.
Consiliar. & Archiat. Reg.

VNA CVM

PROFESSORIBVS
RELIQVIS,
CIVES ACADEMICOS

AD
FERIAS PENTECOSTALES
DIGNE CELEBRANDAS,

*Omnes ac singulos amantiſſime hortatur
atque inuitat.*



Gratiam, Misericordiam & Pacem!



DE *Donis Dei* eminentioribus, Ciues Academici! quæ *extraordinaria* vocantur, & quibus Spiritus Sanctus Apostolos reliquosque credentes primo illo ad Nouum Fœdus pertinente die *Pentecostes* impertiuit, multus sane ac varius cum alias semper fuit, tum adhuc in ore complurium sermo versatur. In primis *Prophetia & Miraculorum donum utrum penitus exspirauerit, an etiamnum, licet rarius, in-*

ueniatur? disceptari solet.

Neque isthæc inanis aut infrugifera in se disputatio censenda est; dum ita modo quilibet in argumento tam sublimi arduoque, tractando se pie ac sapienter adhibeat, vt nec modestia nec circumspectio ab æquis rerum spiritualium æstimatoribus in eo desideretur. Quumque non *de facto* tantum, sed *de iure* etiam, & quidem præcipue, quæstio sit, non, quid hominibus collibitum sit definire, sed quo pacto de re diuina Deus ipse suam exerte declaratam dederit voluntatem, videndum omnino est.

Periculosa alioquin & lubrica admodum est quæstionis illius tractatio. Nam qui absolute eam negauerit, ad eum facile offendet scopulum, vt Numini præpotenti, immutabili, liberrimeque agenti certos veluti cancellos hypothesebus *ἀρεῆς ὑποθέσεις* efformatis temere constituat; quasi vero extra eos Deus, si quam maxime, velit, egredi non possit. Sin aliquis, adductus non modo famosissimis singulorum sæculorum exemplis, sed, prout res postulat, Scripturæ testimoniis conuictus, quæstionem adfirmet, at in eius tractatione cautus satis non sit, is superstitionis hominum credulitati, quin immo petulantis, malitias ac superbiæ, pro rebus diuinis

ac

ac veris, nescio quas vanas falsasque figuraciones aut meras imposturas protinus substituere solita, viam facile aperit. Illud (nempe *sanctum Israelis circumscribere* Pf. LXXVIII, 4r. hoc est, *Iunio interprete, tantum nobis arrogare, vt infinitam Dei potentiam, adde & benignitatem, arbitratu nostro definiamus, & quasi terminos ei circumdemus*) nefas certe est, maximeque in Maiestatem Diuinam iniurium, ac Spiritui fidei aduersum: hoc vero (videlicet rei tractatio incauta, & quæ ad abusus varios tractantis procacitate aditum sternat) Ecclesiæ multum vtique multis modis nocuerit.

Quid igitur? Stet tota hæc res *Scripturae* iudicio. Enimvero verbum Dei nusquam ius ac potestatem nobis concedit, limites Deo præscribendi; aut eius potentia, sapientia, benignitati ac liberrimæ cum huius vniuersi, tum Ecclesiæ gubernationi quidquam derogandi; aut promissiones Prophetarum, prædicentes priuilegia Noui Fœderis, exiguo temporis spatio, reliquis temporibus exclusis, pro lubitu nostro alligandi. De illustri vero *Ioëlis* vaticinio c. II, 28-31. (ad quod Act. cap. II, 17. seqq. *Petrus* provocauit) nulla adferri ratio potest, quare id ad vnicam illam Pentecosten, qua fidelium primitiæ Deo fuerunt consecratæ, restringatur, ac non potius benignitas illius promissionis ita ad omnia Noui Testamenti tempora extendatur, vt adserta apostolicæ ætati prærogatiua impletionem vaticinii plenariam in reliquorum sæculorum decursu haud penitus tollat. Defectus autem continuandæ impletionis, saltem minus raræ, quam sequioribus hisce sæculis est, potius nostræ ab *επιγεωσία* apostolicæ ætatis defectioni, vtpote quam diffiteri non possumus, (etsi vere credentes & gratiæ participes haud dubie sunt etiam, qui ad extraordinaria minime pertinent) quam promissionis tenuitati terminisque angustioribus est adscribendus.

Dum autem hæc ita se habere, quiuis homo non malus & præiudiciis non cæcus facile concedet, vtpote *Scripturae* iudicio suffulta, tenendum id quoque est, quod hæc ipsa *Scriptura* sacra in re tanti momenti haud intermiserit temeritati hominum frana iniicere; siquidem nobis minime permittit, sine probatione accuratissima & promiscue arripere ea, quæ pro extraordinariis venditantur.

Dilecti, ait *Ioannes* I Ep. IV, 1. *ne cuius Spiritui credite, sed probate spiritus, an ex Deo sint: nam multi pseudoprophetae venerunt in mundum. Et Paulus* I Theff. V, 21. *omnia explorate: quod bonum fuerit, retinete.*

Et ipse *Christus* Matth. XXIV, 24. *Excitabuntur Pseudo-Christi & pseudoprophetae, & edent signa magna & miracula: ita ut seducant (si fieri possit) etiam electos.*

Proinde Scriptura etiam piis lectoribus abunde subministrat notas, ad internoscendum in hoc genere a vero falsum accurate animaduertendas. Quid? quod præterea ipse Deus in Scripturis Spiritum *σωφροσιν* cunctis eum sincere rogantibus se largiturum pollicetur, ne, peruerso iudicio, ea, quæ Dei sunt, carn. & sanguini, immo, quæ magis tetra fuerit audacia, tenebrarum principi tribuamus; neu ex altera parte miraculis ac vaticiniis eminentis incauti fallamus alios, ac fallamur, sicque fiat tandem, vt ab vnica Scripturæ S. norma certa & minime fallaci, ad minus explorata & ad ambigua & ancipitia, contra expressum Dei mandatum, nos conuertamus, iisque perinde vt ipsis a Deo suppeditatis comprobatisque fidei fundamentis innitatur.

Imbecillitas humana omnem isthanc cautionem postulat. Nam doctrina quidem cælestis Scripturis comprehensa, facile se sua, quam cum simplicitate coniunctam habet, maiestate, sapientia item & symphonico veritatis concentu, præparatis, vigilantibus atque attentis animis insinuat & commendat. At vero miracula & vaticinia insolentia ipsa ac nouitate sua aduertunt magis capiuntque imparatissimorum quorumlibet phantasiam ac mentem, magisque animo humano ex corruptione naturali nouitatis studioso blandiuntur, quam nuda doctrina quantumlibet excellens & admirabilis. Fit ita, vt, si ab altera parte salua res sit, & animus haud temere ea, quæ extraordinarie fiunt, reiciat; ab altera periculum ei intendatur, vt & intempestiue sit credulus, & sola veritatis, viuida licet, e Scripturis hausta cognitione, gratiaque ad obedientiam fidei & charitatis praxin necessaria contentus esse nolit, quod hæc ad ordinaria dona pertineant; sed tum demum sibi satisfactum iri arbitretur, si dona accesserint extraordinaria, miracula, vaticinia & reliqua Apostolis a Deo concessa; quorum tamen *μερισμοί* (distributiones) nulla ratione ab humana voluntate dependent, sed *βελήσεται* (voluntati) Domini ipsius (Hebr. II, 4.) humillime relinquendi sunt.

Quam ob rem sobrii quilibet huiusce argumenti tractatores sapienter inculcant, minus tuto extraordinaria eiusmodi dona affectari, quippe quæ ingens periculum illis, qui firmas altasque in humi-

humilitate radices non egerint, (quis autem istud de se spondeat?) creare, per accidens quidem, possint; quum ne consolationes quidem spirituales, ad sensus suauiter adfluentes ac illabentes, nobis ita, vt in iis quasi pedem figamus, sed duntaxat ob progressum, quem inde nobis in renouatione promittimus, & non nisi modestissime expetere liceat, nedum maiora illa & plane supra communem fidelium sortem posita charismata.

Monito hoc opus esse duxere viri sapientiae subactae, quo humana temeritas, suaeque ignara imbecillitatis caro, cui perinde vt matri filiorum Zebedaei (Matth. XX, 20. sqq.) ea, quae splendidiora videntur, maxime allubescunt, reprimeretur. Quum enim ii, qui Christo animum addixerunt, excellentia ambiunt dona, eaque non ad exemplum ecclesiae primitiuae (Act. IV, 29. 30) pure propter Dei gloriam, vt sibi quidem facile persuadent, sed ad se extollendum appetunt; ludos mox debent Satanae, nulla re felicius ad eorum perniciem abutenti, quam illa excellendi libidine, quae primis quoque humani generis parentibus lapsus causa extitit. Quotusquisque autem profundissima tam vasti hostis νοήματα adeo habet perspecta, vt necesse non habeat, ab iis sibi omni modo cauere? Absit alioquin, vt pii ac sapientes viri his suis cautelis pugnent cum Apostolo, zelare τὰ πνευματικά (1 Cor. XIV, 1.) iubente, spiritum autem extinguere, ac prophetiam pro nihilo habere (1 Theff. V, 19. 20.) grauisime prohibente.

Ceterum haec & alia, ad argumentum tam celebre spectantia, fuscè & minutim exsequi, hic nostri non est instituti. Et, si dicendum, quod res est, eo res nostrae loco sunt, vt praeposterum videatur, si de consequendis extraordinariis Spiritus Sancti donis solliciti simus.

Primum enim hoc tempore magnum sane est, si quis sibi dictum credere possit ac iure debeat, quod Baruco (Ier. XLV, 4. 5.) indixit Deus: *Ecce quod edificaui, ego destruo, & quod plantaueram, ego euello; denique totam hanc terram.* ET TV QVAERERES TIBI RES MAGNAS? NE QVAERITO: nam ecce ego adducturus sum malum super omnem carnem, dictum Iehouae; sed DABO TIBI ANIMAM TVAM PRO SPOLIO in omnibus locis, quo abiturus es. Deinde lites, emulationes, excandescencia, rixae, obrestationes, susurri, rumores, tumultuationes, quae mala olim Apostolus ne in Ecclesia Corinthiaca reperiret, metuebat, ita nunc in tota fere Ecclesia Christiana, in-

valuere, vt, his tantis corruptelis semper ob oculos versantibus, non possint non *deprimi* fideles Dei serui, & *lugere*, vna cum Apostolo, multos eorum, qui ante peccarunt, nec respuerunt super impuritate, & scortatione & lasciuia, quam patrarunt. 2 Cor. XII, 20. 21. Petri igitur admonitio, quam is Spiritu Sancto repletus Act. III, 19. dedit, amplectenda ante omnia est: *respiscite, & conuertite vos, vt deleantur peccata vestra. Neque enim sapientia in malitosam ingreditur animam, nec habitat in corpore, quod subiectum est peccato. Sanctus enim Spiritus disciplinae fugit dolum, & absistit a ratiocinationibus hominum vacuorum intelligentia.* Sap. I, 4. 5.

Si qui vero inter vos, *Ciues Academici, animas suas, vt confidimus certe, purificarunt, auscultando veritati per verbum,* (1 Pet. I, 22.) ii suæ meminerint infirmitatis, fugiantque pestilentissimam illam, quacum militi Christiano indefinenter conflictandum est, superbiam spirituales; cuius hic præcipuus est character, quod, abiecta vnus necessarii cura, ornari rebus inuisitatis atque extraordinariis gestiat. *Quin potius, o Nostri, gratias agatis Deo Domini nostri Iesu Christi, Patri gloriae, quod eripuerit vos e potestate tenebrarum, ac transulerit in regnum filii sui dilecti; (Col. I, 13.) cumque rogetis, vt det vobis Spiritum sapientiae & reuelationis per agnitionem ipsius, illuminatis oculis mentis vestre ad sciendum, quæ sit spes illa vocationis ipsius, & quæ opes gloriae hereditatis ipsius in sanctis: & quæ sit super eminens illa magnitudo potentiae ipsius in vobis, qui credimus pro efficacitate roboris virium ipsius, quod exseruit in Christo, quum suscitauit eum ex mortuis, cætera.* Eph. I, 17. fqq.

Charismatum autem magnorum si omnino auidi estis, verum ad excellentiam iter cum Paulo (1 Cor. XII, 31.) vobis indicabimus. Et iam noſtis sane, *charitatem esse, quam ipse Apostolus, charismatum diuinorum idoneus haud dubie æſtimator, omnibus donis spiritualibus, integro XIII. Cap. Epistolæ i. ad Cor. longissime anteposuit. Sola quippe charitas est, quæ in aduersis non deficit: quia patiens est. Quæ iniurias non rependit: quia benigna est. Quam felicitas aliena non cruciat: quia non emulatur. Quam conscientia mala non pungit: quia non agit perperam. Quæ in honore non extollitur: quia non inflatur. Quæ in abiectiõne non confunditur: quia non est ambitiosa. Quam cupiditas non coarctat: quia non querit, quæ sua sunt. Quam contumeliæ non prouocant: quia non irritatur. Quam sinistrae suspiciones non sedant: quia non cogitat malum. Quam aliena mala non letificant: quia non gaudet super iniquitate. Quam errores non cæcant: quia congaudet veritati. Quam persecutiones non frangunt: quia omnia suffert, Quam perfidia non indurat: quia omni-*

902

omnia credit. *Quam desperation non absorbet: quia omnia sperat. Quam mors & separatio non intercidit: quia non excidit.* Ita sensum ac mentem Pauli non infeliciter incertus auctor tractatus de amore Dei, qui in Operibus Bernhardi inuenitur, nobis declarauit. Idem vero Apostolus, quum iterum quasi parturiret Galatas, vsque dum formaretur Christus in iis, (Gal. IV, 19.) non alios ab iis requisitum fructus Spiritus, quam charitatem, gaudium (nempe in Spiritu Sancto. Rom. XIV, 17.) pacem, in eobhibitionem, benignitatem, bonitatem, fidem, lenitatem, continentiam, Cap. V, 22. & mox addit: (v. 23.) qui sunt Christi, carnem crucifixerunt cum affectibus & cupiditatibus. Ad Ephesios autem scribens, fructum Spiritus situm esse in omni bonitate & iustitia & veritate adfirmat cap. V, 9. Atque eadem ratione Petrus 2 Epist. I, 5. sqq. ad hoc ipsum, inquit, (nempe quod maxima illa nobis ac pretiosa promissa Dominus donauit, v. 4.) omni prae-terea collato studio adiuicite fidei vestrae virtutem, virtuti vero notitiam, scientiae vero continentiam, continentiae vero tolerantiam, tolerantia pietatem, pietati vero fraternum amorem, fraterno vero amori charitatem. Hac enim si vobis adsint & abundant, non inertes vos nec infructuosos efficiunt in Domini nostri Iesu Christi agnitione. Nam cui haec non adsunt, is caecus est, nihil procul cernens, oblitus sese a veteribus peccatis suis fuisse purificatum. Quapropter, fratres, potius studete vocationem & electionem vestram firmam efficere. Haec enim si feceritis, nunquam impingetis. Ita enim ample subministrabitur vobis introitus in aeternum regnum Domini nostri & Seruatoris Iesu Christi. En! tantus Apostolus torque ac tantis a Deo donis extraordinariis instructus atque ornatus, praeter ordinaria ad sanctificationem animae spectantia dona, plane nulla illis, qui cum ipso eandem pretiosam fidem sortiti erant (v. 1.) commendauit, neque negligendum duxit, eos de istis maxime necessariis & ordinariis semper commonefacere, & quasi per submonitionem expergescere, quamuis peritos & stabilitos in praesente veritate. (v. 12. 13.)

His igitur Spiritus Sancti fructibus, Dilectissimi, vilitatis simis licet, vtinam non etiam contemptissimis! si abundetis, non ægre, si Deo quidem ita placeat, carebitis extraordinariis illis donis, quæ suæ dispensationi, ita vt nec Apostolorum ætate omnibus omnia dederit, (1 Cor. XII, 27 -- 30. Eph. IV, 8-11.) Dominus seruaui. Enimvero qui verum fidei robur consecuti sunt, non ardent desiderio super eminentium donorum, sed hoc agunt, vt abdicent se ipsos, atollant crucem suam quotidie, & sequantur Christum. Luc. IX, 23. Ipse enim Paulus testis est, ab illis sibi donis elati-

onis

onisanimi periculum imminuisse. 2 Cor. XII, 7. Qui vero, ex præcepto Christi, quod modo adduximus, cum abnegatione sui ipsius, crucem suam quotidie recipere non detrectant, & Christum hoc pacto sequuntur, tantum abest, ut illis isthæc periculosa ad cælum via sit, ut *potentia Christi* potius hac via, quæ infirmitatis esse videtur, *consummetur*, & ea ipsa *Christi potentia in crucigeris illis tanquam in tabernaculo suo habiter.* (2 Cor. XII, 9.) Quare maluit etiam Paulus de infirmitatibus, quam de reuelationibus gloriari. Hæc demum est sapientia vera, solida omnique humana sapientia excellentior.

Atque ad hanc ipsam diuinam & spiritualem sapientiam, *Ciues per dilecti*, via vobis his quoque feriis, ea qua par est, fidelitate, in sacris publicis monstrabitur. Vestrum iam erit, semitam hanc, angustam licet atque arduam, ingredi alacriter, & ne ab ea defectatis, verbo Dei tum diebus hisce festis, tum alias semper animos vestros strenue communire. Agite igitur! Sectemini hanc Sapientiam, atque ad eam omni studio contendatis, & quia donum Spiritus Sancti est plane eximium atque diuinum, precibus eam a Deo assiduis efflagitetis. Non nobis, officii ratione vos ad id, quod vtilissimum vobis est, adhortantibus, hoc detis, sed Deo, cui ratio reddenda erit in die iudicii, cum de omni vita, tum vero maxime de eo tempore, quo, sepositis negotiis omnibus, hoc vni- ce vobis cordi esse debet, ut Spiritus S. per verbum Dei in vobis efficiat id, quod gratum sit in conspectu eius, cui sit gloria in sæcula sæculorum. Amen. P. P. in Academia Fridericiana, ipsis Feriis Pentecostalibus M DCCVII.

LITTERIS ORPHANOTROPHÆI.




01 A 6756


ULB Halle 3
003 099 423



Retro ✓







PRORECTOR
ACADEMIAE FRIDERICIANAE
FRIDERICVS
HOFFMANNVS,
Med.D. eiusd. & Phil. Nat. Prof. P.
Confiliar. & Archiat. Reg.

VNA CVM
PROFESSORIBVS
RELIQVIS,
CIVES ACADEMICOS
AD
FERIAS PENTECOSTALES
DIGNE CELEBRANDAS,

*Omnes ac singulos amantiſſime hortatur
atque inuitat.*

